

CULTUS S. ALFONSI ET FILIORUM EIUS

Monumentum in Cardinalis van Rossum memoriam Buscодuci Neerlandiae erectum

Buscодuci, quod est Provinciae Brabantiae Septentrionalis caput, in foro publico, eius nomini dicato, simulacrum Gulielmi Cardinalis van Rossum in memoriam positum et die Dominica 24 Iunii h. a. sollemnissime inauguratum est.

Inauguratio, qua illustrior haberi non poterat, locum obtinuit coram Archiepiscopo Ultraiectensi totoque episcopatu Hollandico; pluribus tum

ecclesiasticis tum civilibus dignitariis, inter quos commemoramus illmos viros van Ryckevorsel, Reginae commissarium, Ruys de Beerenbroek, senatus praesidem, van Wijnbergen, senatorem, Deckers, defensionis nationalis administrum; coram universo clero Buscодensi cunctisque consilii municipalis membris. Inter ceteros, qui aderant, praeter statuae sculptorem, honorabilem Domum A. Falise, recensendi sunt: Pl. R. P. Provincialis, sodalesque communitatis Buscодensis; Cardinalis defuncti Secretarii, RR.PP. Ios. Drehmanns et B. Lijdsman; amicus specialis et benefactor insignis, Comes Romanus Ds. Gul. Dreesmann; dein Superior Generalis Fratrum Congregationis B. M. V. de Misericordia Tilburgensis, necnon Superiorissa Generalis Sororum Congregationis B. M. V. de Misericordia Tilburgensis; qui singuli pro grato in Cardinalem Protectorem animo ad simulacri erectionem largissime contulerant. Spectatrix aderat turba copiosissima, quae ex Neerlandiae regionibus undique



FIG. 1. — Novum monumentum defuncti Card. Gulielmi van Rossum Buscодuci ('s Hertogenbosch) erectum.

huc mearat ad Nationalem Diem Catholicorum sextum obeundum, cuius sollemnem haec inauguratio clausuram constituebat.

Cunctis interea praesidebat Illustrissimus Dominus F. van Lanschot, civium Buscoducens consul, qui tum simulacri erigendi, tum festivitatis parandae auctor fuerat.

INAUGURATIO

Inauguratio peracta est ab Internuntio Apostolico, Exmo Laurentio Schioppa, ex speciali commissione, quam ab ipso S. Pontifice per Cardinalem Secretarium Status acceperat; quique, ut mandato huic satisfaceret, infirma licet valetudine, Haga-Comitum Buscoducum venerat. In antecessum vero Illm̄us D. van Lanschot suggestum concendit, laudibusque vitam meritaque praecelsi concivis extulit, qui gratiae Dei cooperans Ecclesiae decus Missionumque florem tantopere promovit; Neerlandiae vero Catholicae et peculiari modo Buscoducensi civitati honori fuit. « Hic namque, ait, Wilhelmus Marinus van Rossum, S. Romanae Ecclesiae Cardinalis, die 16 Iunii 1764 vota religionis perpetua nuncupavit; Redemptorista sodalisque Congregationis S. Alfonsi factus est; quod factum recolere non filiis Congregationis tantum, sed cunctae, Ecclesiae Neerländicae praesertim, cum gaudio iucundissime licet ».

Post hunc sermonem, qui magno cum fervore et persuasione intima pronuntiatus, attentissimo silentio audiebatur, et ope microphoni vastissime divulgabatur, orator nomine Excellentiae Suae L. Schioppa telegraphicum nuntium praelegit, quem hic ante suam ex Haga-Comitum profecionem ab Emo Eugenio Pacelli, Cardinali Secretario, acceperat, quique sic sonat:

Souverain Pontife heureux féliciter noble initiative monument destiné perpétuer dans sa patrie souvenir piété, science, zèle apostolique très regretté Cardinal van Rossum forme vieux mémoire éminent serviteur Église et gloire pays soit toujours catholiques hollandais puissant encouragement pour activité inlassable au service cause leur foi et universelle restauration esprit chrétien. Card. Pacelli.

Nunc Internuntius sede sua exsurgens et invitationi oratoris annuens velum, quo simulacrum operiebatur, dimovit; subito, Cardinalis praegrandi consimilique figura apparente, plausus spontaneus erupit; symphonia musica insonuit; millenaeque puellae scholarum catholicarum chorum cantaverunt musicis optime notum: « Seht, er kommt, mit Preis gekrönt », ex Oratorio J. F. Händel « Judas Maccabaeus » desumptum, super verba a R. P. Lampe festo adaptata, dum ad ultima verba: *Heil, Kardinaal ; ja, heil met hart en hand* (Purpurato Patri salve dicimus ore manu) dextram more Romano salutatum porrigebant.

POMPA AMBIENS

Sic inauguratione finita, multitudo hominum fere 30 000 forum ambiare coepit; viri, mulieres, iuvenes, puellae, qui Diem Catholicum, ad quem convenerant, pompa festiva in Cardinalis honorem claudere volebant. Itaque ordine incedebant frequentissimi plurimarum associationum



FIG. 2. — Proceres ecclesiastici civilesque d. 24 Iunii 1934 Buscoduci
Em̄um Card. van Rossum honorantes.

Sinistra dextrorum: 1) Ch. Ruys de Beerenbroek (olim gubernii praeses, nunc senatorum caput). 2) Ex̄m̄us J. Aengenent (Harlem). 3) Deckers (defensionis nationalis minister). 4) Ex̄m̄us A. Diepen ('s Hertogenbosch). 5) van Wijnbergen (membrum II camerae seu senatus). 6) Ex̄m̄us J. Jansen (Utrecht). 7) Internuntius Apost. L. Scioppa. 8) F. van Lauschot (civibus Buscoducensibus praefectus). Ex̄m̄us P. Hopmans (Breda). 10) van Ryckevorsel (Reginae commissarius). 11) Ex̄m̄us G. Lemmens (Roermond).

civilium, congregationum ecclesiasticarum, piarum unionum, corporacionum artificum, opificum, iuuentutis utriusque coetuum sodales, centena atque iterum centena signa, vexilla radiantia alte extollentes, eaque ante sedes Episcoporum deferentes; quos excipiebant alternatim symphoniae musicae, plenis buccis sonos ventilantes, vel equites ornati, bucephalos spumantes vix moderantes; vividissimum profecto spectaculum.

Pompa haec, teste prelo catholico, « manifestatio, quam nulla unquam delebit oblivio » (*Maasbode*), « demonstratio, qualem Neerlandia catholica nondum vidit » (*Tijd*), hora tertia incepta, tandem hora sexta terminabatur.

MONUMENTUM

Sed iam simulacrum ipsum intueamur. Auctorem habet, uti antea diximus, honoratum Dnm Aug. Falise, in Academia bonarum artium Buscoducensi professorem, cuius etiam extra angustos patriae terminos celebre nomen existit. Simulacrum, quod totum ex aere subfusco ductum est, altitudinem 3,30 metrorum habet, impositumque est basi e lapide pallidiori altitudinis 2,50 metrorum. Figura Cardinalis pallio cardinalitio circumdata capite detecto apparet; dextera manus, quae prope latus demittitur, pileum, dignitatis suae insigne, tenet, dum sinistra pectori innixa, gestu ipsi, dum viveret, proprio, extremis digitis cruci pectorali alludit: *In Cruce salus, in Cruce victoria!* Habitus tanquam viri, qui, fronte seria magna consilia volvens, virili passu suique conscius viam Domini graditur. Basis inscriptio, praeter nomen nihil nisi ortum et occasum exprimit.

Pavimentum denique, quadris e lapide albo stratum, frondosis tiliarum arboribus circumdatur, quae statuam a tergo nativo decore adumbrant.

NOTITIA HISTORICA

Occasione Centenarii Congregationis, cum magister civium praelaudatus F. van Lanschot festo adesset, vir apprime catholicus, forum pecuarium vetus, nostro collegio e regione adiunctum, S. Fundatori nostro dicatum iri promisit, Patribus ut placeret. Consilio municipali nominis mutatione grata fuit; verum S. Alfonso substitui nomen Cardinalis van Rossum magis placuit, quo non tantum omnibus documento esset, Patres de civitate optime meritos esse, verum etiam memoria civis eximii perpetuarentur, qui hac in urbe vitae religiosae fundamenta posuit.

Verum «Area van Rossum» statuam Cardinalis exigebat. Hinc alacri animo Magister civium pecuniam ad statuam erigendam colligere ipse coepit; idque tam felici successu, ut brevi post summam ad finem necessariam haberet. Donatores recolere iuvat Superiorem Generalem Fratrum necnon Superiorissam Generalem Sororum Tilburgensem, qui singuli summam Fl. 1000 contulerunt. Similem summam dedit, coniunctim cum suo fundatore, societas operariorum, quae *Eigen Bezet* (Dominium Proprium) audit. Haec societas, quae fundatorem habet R. P. Gul. de Groot, tum temporis sodalitatis S. Familiae Buscoducensis Directorem, ad aedes aedicandas in commodum sodalium S. Familiae instituta est, opificum pauperum scl., qui hospitii necessitudine pressi, has aedes parvo pretio con-

ducere vel emere possent; et hodieum plus minus 250 domos operiorum exstruxit et administrat. Adde, quod etiam collegium Buscoducense necnon Provincia nostra Hollandica obulum suum adiecerunt. Quid vero? ipse vir honorabilis F. van Lanschot parsimonialem arcam suam aperuit, et 1500 florenos inde exstraxit, quos pro lubitu suo erogandos acceperat; insignis defuncti Cardinalis amicus, Comes Romanus Gul. Dreesmann, 700 florenos contulit. Munificentiae denique consilii municipalis monumenti basis marmorea debetur, quae 1200 florenis constitit. Coronidis vero loco, Ds. A. Falise honorario honorem simulacri fingendi praetulit! — Et sic paucorum liberalitate opus brevi perfici potuit.

Fuit autem Rector Buscoducensis, cuius opere et consilio civium magister hoc tempore pluries usus est, qui ipsi suasit, ut monumenti inaugurationem coincidere satageret cum Die Catholico primo post Cardinalis decessum celebrando, cui tota provincia catholica assisteret. Et ideo haec inauguratio, quae primum non esset nisi civitatis unius erga maximum suorum quondam civium obsequium, in totius Neerlandiae excrevit honorem talem, qualem similem vix cogitare licet.

Exstat ergo, altero post obitum eius anno, media in Hollandia magnificentum Cardinalis van Rossum simulacrum, unius viri opera brevissimo tempore positum, cuius viri sollertiae et industriae heic maximas persolvere laudes decet. Exstat simulacrum, quod in longitudinem dierum optimi tum patriae tum Ecclesiae servi catholicis omnibus praebebit exemplum; confratribus vero, tironibus in primis, qui Buscoduci in novitiatu educantur, spiritum veri Redemptoristae, zelumque missionarii ardentissimum praeedicabit.

Nisi essem Superior, alios agere sinerem; at videns me Superiorem, angor scrupulo, cum omitto quoddam lumen a Deo acceptum litteris mandare. Deus enim Superioribus certa lumina dat, quae non dat aliis; id quod me impellit ad tot epistolas scribendas.

(S. Alf. ad P. Maione 26 Ian. 1776.)